

cuiq; nostrum. *Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium caritates patria una complexa est.* Hic Gradus est uniuscujusq; viri & civis boni cum rep. & patria sua; quam cunctis caritatibus & propinquis præfert Cicero, quod has omnes illa complectatur. Inde Sophocles in Antigone Patriam haud inepte Navi confert, quæ omnes complectitur navigantes; quæ incolumi fractave, salvi illi sunt aut periclitantur. Circumfertur etiam illud Socratis: *An nescis, quod patria multò sit venerabilior & sanctior, quàm pater, mater, aut ulli majores?* Docetur autem hic speciatim, tantam conjunctionis hujus vim esse, ut civis bonus non dubitet mortem pro patria oppetere; secundum illud Horatii: *Dulce & decorum pro patria mori.* Lib. III. Od. 2. Additur tamen hæc limitatio: *Si ei sit profuturus;* quo titulo laudantur Decii, Codrus, aliique apud Valer. Max. Lib. V. cap. 6. Non verò Cato Uticensis, non Lucretia, qui morte sua privato tantum pudori, ut putabant, consuluerunt. E diverso detestabilis est eorum immanitas, qui lacerarunt omni scelere patriam; uti Cinna, Marius, Catilina, Sylla &c. & in ea funditus delenda occupati sunt: quibus verbis a Cicerone procul dubio J. Cæsar, ac Triumviri tunc superstites, perstringuntur. Notetur hic illud Platonis in Critone: *Vim afferre neq; matri neq; patri fas est; minime vero omnium patria.*

XII.

Si jam quæras, *Quis ordo servandus sit in exercenda Beneficentia inter dictos hætenus societatis gradus?* Respondet Cicero: *Principes sint (principem locum teneant) Patria & Parentes: proximi, liberi totaq; domus: dein bene convenientes propinqui; & amici, quibuscum communis plerunq; fortuna est: hos sequuntur cives, &*
ii, qui